Illuſtriſſimo atq; Excellentiſſimo
Domino, Domino
ALEXANDRO
SAPIEHA
Comiti
in Bychov, Zaſſav, Druja, Dąbrowna, Hory, Horki, & Lojovo,
CASIMIRI & CAROLINÆ de RADIVILLIIS S.R.I. Principibus, Præfectorum Generalium Armamentarii Magni Ducatûs Litvaniæ,
FILIO,
ALEXANDRI PAULI & MARIÆ de BETHUNE Marchioniſsæ, Supr: Mareſchallorum Magni Ducatûs Litvaniæ,
NEPOTI,
CASIMIRI PAULI & CHRISTINÆ de Hleboviciis Palatinidis Vilnenſis, Vilnenſium Palatinorum & Supr: Ducum Exercituum M. D. L.
PRONEPOTI,
A PAU-

PAULI JOANNIS & ANNÆ de KOPCIIS Castellanidis Novogrodensis, Palatinorum Vilnensium & Supr: Ducum Exerc: M. D. L.

JOANNIS PETRI & SOPHIÆ de Veyheris Palatinidis Culmensis, Supr: Ducum Exerc: Magni Ducatûs Litvaniæ,

PAULI & ANNÆ de CHODKIEVICIIS Castellanidis Vilnensis, Castellanorum Kijoviensium,

THEODORI & JULIANÆ de Ducibus Lukumlemsibus, Ducum in Chrzczonov Severiæ,

BOGDANI sive THEODATI SIMEONIDIS & MARIÆ de Ducibus Severiæ, Palatinorum Smolenscensium,

SIMEONIS SUNIGAILONIS Castellani Trocensis,

PUNIGAYLONIS SOPHIÆ Castellani TROCENSIS,

NARIMUNDI Pinscensis & Mozyrensis Ducis,

GEDIMINI M. Ducis Litvaniæ,

VI-

VITENIS Columniadæ Ducis Litvaniæ,

ABNEPOTI,

Urbem Provinciæ ſuæ principem ingredienti PALATINO POLOCENSI.



N iſto Procerum, hinc te comitantium, illinc tibi Palatinam ingredienti Urbem prodeuntium obviam, tam frequenti concurſu, cùm te omnibus benignè impertis, ad nos quoq; cœtum hunc nomini tuo in primis addictũ PALATINE ILLUSTRISSIME *oculos, quæſumus, animumq; adverte. Non hîc te tuîs laudibûs morabimur: videmus enim quantùm jam iſtis opibus circumfluas: ipſius nos communis lætitiæ hujus interpretes, quid ſcilicet hic populus, quid civitas, quid iſti de tuo adventu Quirites gratulen-*

tur, *ecquid* Societas *nostra bodie tibi à Superis precetur, ac speret, explicaturi, admitti cupimus. Id ipsum quô expeditius sit, notîs pro verbis utimur. En libellum tuo* Palatini *nomine insignem, voluntatis erga te nostræ internuncium. Excipe interpretem hunc eâ benevolentiâ Senator, quâ nos tuî studiosissimos SAPIEHA complectendos putas. Id cum universa Provincia sua Litvana etiam atq; etiam à te precatur*

Illustrissimo atq; Excellentissimo Nomini Tuo

Devotissimum

Collegium Polocense
Societatis JESU.



DE omnibus fere, quotquot unquam gloriosi gentium domitores egerunt, triumphis, sunt, qui affirmare non dubitent, nullum adhuc neq; ampliorem victori nequé jucundiorem genti patriæ hoc uno obtigisse, quem hodie *Palatine Illustrissime* in hanc urbem, universa gratulante Provincia, deportâsti. Fuerint quidem, ajunt, complura in illis victorum ornamenta: trophæa, triumphales arcus, phaleratæ, quibus se in Capitolia inferebant, quadrigæ, vincti ante currum duces, capta ex hostibus spolia, laureæ, murales, civicæ, obsidionales coronæ, oppidorum simulacra, gestientium occursationes civium, plausus, acclamatio-

nes, victimæ; tamen ea quoq; magnam partem fuiſſe ſcimus, quæ huic ſplendori ſuam offunderent caliginem, feſtasq; cum infeſtis vocibus confunderent: illa ſcilicet captivorum lamenta, peremptorum in acie non deplorata adhuc funera, illi matrum filios recquirentium ejulatus, militum vulneratorum gemitus, ære dirutorum queſtus, illa deniq; Imperatorum laudem ſibi omnem vendicantium ſuperbia atq; hujus comes popularis invidia: ut propterea meritò dubitare poſſis, plus laudis ſinceræ heròés illi an dedecoris & ignominiæ domum ex hoſtico retuliſſent. Longè omnino alia nobis hujus tui, SENATOR AMPLISSIME, triumphi ratio. Nullus hìc ſuperbiæ, nullus querelæ, nullus invidiæ locus. Enimverò nihil te arrogare, ante omnium oculos eſt; ut qui non ultro te ingeras, ſed electus, non oblatus, ſed expetitus, ac ſerò quidem, quod unum queri poſſumus, deſiderantibus adveneris. Hîc jam, quanto nuper conſenſu te liberi Patriæ cives invitârunt, tanta hodie cum

læ-

lætitia urbem ſuam ingredienti occurrunt. En quæ ſe tibi quàm frequens obviam effudit celebritas! ùt omnes certatim accurrunt: juvenes & viri, ſenes pariter ac pueri, teq; vix modò eminus conſpecto, jam alacres ſibi viciſſim renunciant, veniſſe hoſpitem Illuſtriſſimum, adeſſe electum nuper optatiſſimum ſibi Principem, jam in urbem cum frequentiſſimo ornatiſſimoq; inferri comitatu. En, o tribules, quod tantopere deſideravimus, atq; à DEO immortali precati ſumus, ecce *Palatinus* noſter, ille Principis in Litvania cariſſimæq; domûs progenies inclyta, ille publicæ felicitatis divinum pignus, Provinciæ noſtræ decus ac præſidium, ALEXANDER SAPIEHA, ingreditur! O Civitatem noſtram univerſamq; Provinciam hoc nuncio fortunatam! O diem hunc ſingulari religione Providentiæ Superûm conſecrandum! His atq; ejuſmodi vocibus fora, plateæ, vici etiamnum perſonant, hoc ignes artificioſi in cœlū ferunt, hoc cōmunis lætitiæ nuncii ex vallis et propugna-

culo tonitrus longè latèq; divulgant. In quo tam præclaro tibi, quàm jucundo nobis universæq; Provinciæ huic triumpho ne qui fortè rerum nostrarum ignari convenæ nos hoc ipso occupatos spectaculo interpellent percontenturq; molesti, quid sit, quòd gens hæc cæteris liberior, atq; adeò in eligendis præsidibus fastidiosa & aliàs discors, ad fasces suos, quorum jam inde ab obitu Illustrissimi Donhoff Palatini sui ac Ducis exercituum M. D. L. ne spem quidem capessendorum ulli reliquerat, te unum de tanto competitorum numero, te in isto ætatis flore, in quo tantæ dignitatis fructum nemo unus præcerpsit adhuc, te hoc ipso, quo primùm conspexit, tempore, tam libens invitaverit, tã studiosè hodie excipiat; ne, inquam, miretur aliquis, tum ut via quasi Appia cupidis honorum, te duce, monstretur ad gloriam, *operæ pretium duximus, vias certas sive rationes præcipuas, quibus & Palatinus noster hodie, & universa Illustrissima Domus sua de animis liberorum Patriæ Civium*

vium

vium perpetuò triumphet, hoc ipſo præconio noſtro pervulgare. Boni conſules officium addictæ immortaliter Illuſtriſſimo nomini tuo religioſæ familiæ noſtræ, gratôq; animô, quæ tua benevolentia eſt, excipies.

Difficilius nihil in omni dominatu ſuo experiantur, oportet, principes, uſu rerum eruditi ſint illi quamlibet, potentiaq; & opibus floreant, quàm in regnis, præſertim liberis, id effici poſſe, ut, quemadmodùm jus in fortunas civium imperiumq; obtinent, ita eorum quoq; animîs arbitratu ſuo utantur, quin congiariis etiam aliquando devinctos, faciles ſemper ac fideles in officio contineant. Quàm levi aura vulgus ſit mobile, quàm contumax, præfidens, imperioſa ſuoptè ingenio, quantaq; religione obſervet immunitatum ſuarum apices omnes omnis gens libera, quis eſt, qui neſciat? Non eâdem certè ratione arbitria ſua tractari patitur, qua rerum moderandarum cæterarum habenas, nec flecti ſe pariter regiq; ſinit libertas, atq; ipſa, illa M. T. Ciceroni re-

rum humanarum domina, fortuna: quam interdum, si primis obluctetur consiliis, ac porrò obniti pergat; capillîs utiq; pertinacem, quod rei politicæ magister nonnemo docet, in sententiam pertraxeris: cùm liberorum benevolentiam civium multis neq; munera neq; officia concilient. Atq; hoc rei caput est, SENATOR ILLUSTRISSIME, quòd jam inde à principiis hujus Provinciæ Palatinos suos vix decem & octo recenseas omnes, cùm in aliis, quibus scilicet imponuntur non eliguntur Præsides, per idem tempus sexcentos facilè numeremus. Quid est verò, quòd ad eam dignitatem, ad quam paucis admodùm aspirâsse, nedum ulli ex omni familia sua hujus muneris hæredem reliquisse licuit, vobis aditus tam facilis pateat, ut tertium jam hodie ex Illustrissima SAPIEHARUM Gente Civitas ista Palatinum suum, tanta tam admirabili consensione electum, tam illustri voluntatis suæ professione exceptum, consalutet? Sexcentæ sunt quidem hujus rei causæ, atq;

aliæ

aliæ quidē vobis cum cæteris Principibus communes,quas,ut ne à propoſito longiùs abeamus, ultro omittimus: aliæ præter cæteros Illuſtriſſimæ Genti Veſtræ præcipuæ ac ſingulares: *merita* ſcilicet *veſtra in religionem, Patriam, & cives immortalia: nempe ſtudium religionis ſinceræ perpetuum: fides in adminiſtrandis Reipublicæ muneribus probata ſemper ac ſapientia, ſvaviſſimæ deniq; illæ animorum illecebræ: comitas cum dignitate conjuncta & prolixa in omnes liberalitas.* Hæc aimus, Palatine Illuſtriſſime, tibi tuæq; Familiæ ad honores imprimis ſuffragari.

Quæ una feliciter provincias & regna ſanctîs legibûs cöercet ac regit, ea ſine dubio imprimis Domum veſtram tot ſeculîs incolumem florentemq; conſervat, ac novîs in dies incrementîs amplificat, vera eaq; jam olim per SIMEONEM SUNIGAYLONEM Norimundidæ Punigaylonis Filium Caſtellanum Trocenſem, unum è Majoribus veſtris à vobis ſuſcepta religio, nullis adhuc temporibus,

ne iis quidem, quibus in Patria per homines pestiferis de religione opinionibus imbutos divina passim humanaq; promiscué haberentur, ab ullo vestrûm violata, quin etiam mirificè aucta ac propagata. Nam quòd ipsos Palatinos Castellanosq; octoginta & ampliùs, quòd religiosissimos Sacrorum Antistites, præter Illustrissimum JOSEPHUM SAPIEHA Diocæsareæ Præsulem ac Vilnensis Pontificatûs cum successione nuper Vicarium, duos: PAULUM scilicet & ALEXANDRUM, Vilnensem hunc, Samogitiæ illum, Episcopos; quòd quinq; ipsos exercituum M. D. L. summos Duces: PAULUM JOANNEM, LEONEM, JOANNEM dictum fulmen belli, CASIMIRUM PAULUM Palatinum Vilnensem, & JOANNEM Castri Bobroiscensis Præfectum; quòd primis in Republica insignes muneribus Illustrissima Domus vestra in toga & sago Ministros infinitos pœne recenseat; quòd Nominis vestri dignitas eò provecta sit, ut non modò principes in

Pa-

patria familias, illas antiquitate generis, muneribûs, rebûsq; præclarè geſtis inclytas; ſed Reges etiam tum Poloniarum ex Jagellonica ſtirpe ortos, tum Galliæ, Angliæ, Portugalliæ per MARIAM de Bethune Sereniſſimæ Poloniarum Reginæ MARIÆ neptem, ALEXANDRI PAULI SAPIEHA Mareſchalli M. D. L. Conjugem, tum quidquid decorum per venas regii ſangvinis à GEDIMINO Columniade uſq; familiæ veſtræ Principe, manavit, quòd, inquam, totum id Auguſta Domus veſtra, tanquam ſua decora complectatur, novîsq; acceſſionibus augeat, totum id religioni imprimis veſtræ tribuendum. Siqua enim eſt virtus, cui à DEO immortali propoſita ſunt præmia; huic certè, quæ in procuranda ejus gloria verſatur, ampliſſima, oportet, deferantur. Neq; enim infinita illa in mortales liberalitas committere poteſt, ut aliquando humana erga ſe pietate ſuperetur. Rationem itaq; meritorum veſtrorum à Superis haberi ipſa luce clariùs videmus. Nimirum non pla-

D ce-

cere DEO non possunt illa in æternum duratura pietatis vestræ monumenta, illæ regiis impensis exædificatæ Divis Basilicæ, *Vilnæ, Beresæ, Brestæ, Ostrovnæ, Sapieżyni, Sokali, Zyroviciis, Mobiloviæ, Kossovi, Siemiaticiis, Rozanæ, Orsæ, Bielicæ, Drujæ, Bogdanoviæ, Codnæ, Visnici, Grodnæ, Maciejoviæ, Ciemkoviciis, Czerejæ, Bockovi, Biesienkoviciis, Horcis, Dorobostaii, Czarnobyliæ, Lennæ, Holszanis, Telsiis, Derebiczynii*, cæterisq; pluribus per Litvaniam, Russiam, Poloniam locis templa & domicilia religiosis familiis, excitata. Religio itaq; studiosos adeò sui majores tuos ad eos honores provexit, & cum gentibus in Europa principibus affinitatum vinculis conjunxit: religio Domum SAPIEHANAM tamdiu sartam tectam conservat ornatq;: religio tibi hodie, nominis pariter & gloriæ hæredi amplissimo, civium istorum animos conciliat. Amant nimirum illi præstantes religionis studió principes, talesq; sibi deposcunt præsides: ut qui omnium fere in hac regione primi, abjecto

jecto ſimulacrorum cultu, Chriſtianis ſe sacris addixerunt, primiq; ad ſuos limites adverſùs religionis & reipublicæ hoſtes evigilant. Neminem autem fugit, quantô ſtudiô Majorum tuorum pietatem æmuleris, quàm innocenter ſanctèq; primam ætatem traduxeris, vivô illo ſapientiæ & ſanctitatis oraculô, ILLUSTRISSIMO JOSEPHO SAPIEHA, Pontificii **nuper** per diœceſim Vilnenſem muneris ADJUTORE, Patruo, Tutore atq; Educatore tuo, ad omnem morum non modò honeſtatem, ſed ſanctitatem etiam ab extrema jam pueritia inſtitutus. Sic tu in Palatinis ſuis ædibus virtutum & ſapientiæ alumnus verſabaris, ut, cùm te domi in umbraculo adhuc inter libros latere putares, clariùs hinc, quàm è ſua cryſtallina Druſus ſpecula viderere; atq; hîc te obſervandum filiis parentes, magiſtri diſcipulis, tanquam perfectiſſimum ætatatis iſtius exemplar, proponerent. Videte, monebant, videte adoleſcentem juvenes, in ea fortuna tam ampla natum, in

iſta rerum expetendarum copia Principem, quæ ſuæ vitæ ratio, quàm exoptandô vobis utatur inſtitutô! ut ille divinis rebus maturè ſtudet! ùt ad omnem vitii umbram cautus & circumſpectus agit! quæ verecundia, illud ætatis veſtræ ornamentum maximum, renidet in vultu! quàm prudens & caſtigatus ſermo! quàm alacer & expeditus ad omne pietatis officium animus! Sic te ille, ſi de rebus divinis ſermonem inſtituas, audit, ſic Cœlites amat & colit, ſic, dum Sacerdos operatur ſacris, libens adeſt ac ſupplicat, ſic ædium ſacrarum ſplendorem lætus intuetur, ſic deniq;, quidquid ſinceræ adverſatur religioni, execratur & fugit; ut, qui futurus ſit religionis vindex, quantîs muneribùs Majorum ſuorum cumulaturus ſit impenſa in rem Divinam dona, jam hodie videamus. Peragrante interim ea patriam fama, cùm omnes aliæ te rerum ſuarum Præſidem optarent, quæ cæteris liberior annos complures ſecum diſceptabat, quem ſibi unum è ſtudioſis rerum Divinarum

Prin-

Principibus ad gubernaculum deligeret, Provincia, rumoribûs de te passim dissipatîs excitata, ad te demum oculos animumq; retulit, tantùmq; placuisse te sibi atq; electum, quantùm inter candidatos propositum fuisse, intererat. Fruere jam tuo isto tam excellenti bono, o Polocia, Provinciarum nobilissima, atq; hoc Duce adversùs gentes religionibûs nostrîs iniquas utere felix, ac triumpha. Revocabuntur illa (sic nos & pietas vestri Principis & vestra religionis veræ studia sperare jubent) revocabuntur illa tempora, quibus sic floruistis, ut opes vestræ, quod narrat Cromerus, ipsius etiam, urbium nostrarum Principis, Vilnæ divitias superarent.

Alterum est, quod vobis tam præclarè de religione meritis complanet ad honores ac muniat viam, *amor Patriæ & fides in administrandis Reipublicæ muneribus sapientiaq; singularis.* Meminimus adhuc, neq; enimvero universa posteritas non recordari poterit ejus præter alia tantæ tam in-

E si-

ſignis fidei, quam olim Caſimiro Poloniarum Regi & univerſæ Patriæ præſtitiſtis. Expugnârat infeſtîs armîs Smolenſcum Roſſus, regionemq; univerſam in ditionem redegerat. Res eò loci vobis fortunæq; erant ampliſſimæ. Retinere totum, ipſo vos hoſte ad id invitante, cum dignitate poteratis: neq; enim hoc pactô vos Roſſia, quo aliquando græcum Themiſtoclem Perſia, Cives eſſe Ducesq; ſuos optabat, ut ſcilicet arma ſecum adverſùs patriam aliquando conjungeretis: ſatis illa ſibi gloriæ duceret; ſi Gentem veſtram inter Principes ſuorum familias numeraret. Maluiſtis nihilominus, acciſis etiam rebûs veſtrîs, fortunæ, quæ vobis uſquam gentium faveret, nuncium remittere, quàm abſtracti è gremio ſinuq; patriæ in ſumma rerum copia imperare. Fundos itaq;, caſtella, urbes veſtras, cæteraq; Danaûm illorum dona ultro ac ſponte dimiſiſtis. Hîc jam in Patria quæ pro aris & focis pericula ſubiîſtis herôes, quot quantaq; bella ſuſcepiſtis Duces, quàm il-

lu-

luſtribûs victoriis prælia Imperatores confeciſtis! Tricies ipſe ILLUSTRISSIMUS JOANNES PETRUS SAPIEHA *Capitaneus Uſviatenſis Dux Exercituum Litvaniæ ſummus* cum innumeris gentium copiis, apud *Kokonhauſum*, *Kircholmum*, *Derpatum*, *Troiciam*, *Borouſcum* multîsq; locîs aliis Imperator conflixit, totiesq; de hoſtibus, inſigni ſtrage edita, triumphavit. Quot quantisq, trophæis ornavit Domum patriam Heroûm ille facilè Princeps, ILLUSTRISSIMUS PAULUS JOANNES SAPIEHA Palatinus Vilnenſis ſummus Dux Exercituum M. D. L. primùm quidem, Vladiſlao IV. Poloniarum Rege, apud Smolenſcum & Albam illam Ducalem, tum, luctuoſiſſimîs illîs, JOANNE CASIMIRO ad clavum ſedente, Reipublicæ temporibûs, Dux Exercituum Summus ipſis in Caſtris electus, Rege & universâ Patriâ Suffragia militum approbante, quantas, inquam, ad Bereſtecum, Pinſcum, Breſtiam, Lublinum, Leopolim, Varſaviam, Janoviam, Mielnicos,

Poloncam, Lachovicios, quàm immanes Svecorum, Moſchorum, Tartarorum, aliarumq; gentium paſſim populantium copias fudit, ejecit, profligavit: quanta virtute ereptam Litvaniæ à Sveco vindicavit Curoniam, atq; adeò ex faucibus hoſtium eripuit: ut propterea *ſervatæ Patriæ Pater* communi præconio vocaretur! Quis deniq; vel numerando percenſeat illos, quos Illuſtriſſimus LEO SAPIEHA Palatinus Vilnenſis Dux Exercituum & Procancellarius M. D. L. in Moſchovia, priuſquam eò, ad occupandum Ruſſiæ ſolium, Vladiſlaum Poloniarum Regem deduxiſſet, quos apud Toropecum, Zavolociam, Oſtroviam, Pleſcoviam, Rigam, Duneburgum, Avikſtum, Cratzburgum, Lutzenum, Marienhauſſum, Retſſenum, Selborgum, Garacmoiſſam, adverſùs tum Sveciæ tum Moſchoviæ exercitus; quos CASIMIRUS PAULUS SAPIEHA Palatinus Vilnenſis Dux item Exercituum Summus in Podolia, Moldavia, Taurica Cherſoneſſo; Illuſtriſſimus MICHAEL

Co-

Comes Præfectus Stabuli M. D. L. CASIMIRI Palatini Vilnensis Filius ad Bellogradum, Petrovaradinum, Tissam & Begam, Cæsarearum, deinde in Transylvania patriarum legionum Ductor; Illustrissimus FRANCISCUS SAPIEHA Præfectus Stabuli & Armamentarii M. D. L. ille *omnium militum amor, omnium armorum miles* vulgò appellatus, in Hungaria ad Oraviam, in Podolia ad Chotimum; Illustrissimus CASIMIRUS PAULUS SAPIEHA Palatinus Vilnensis & Dux Supremus Exercituum M.D.L. in Moldavia, Turcia, Podolia, Ucraina; quos JOANNES SAPIEHA Castri Bobroiscensis Præfectus, formidolosus ille Rossis Achilles, sexcentiq; alii nominis vestri Heròës, quot triumphos de infestis Patriæ gentibus celebraverint; nimium quàm prolixum est, omnium singillatim meminisse. Hæc qui tãta tam illustria tuorum in patriam merita recordantur, fieri nequit, quin te hujus gloriæ pariter ac Nominis Hæredem magni faciant, tuis laudibus faveant, tuo ho-

F no-

nori ſtudeant; ſi præſertim ad ea mentem advertant, quæ virtus tua animusq́; ad ardua quæq́; erectus & alacer, atq́; ea ipſa, quibus primam adhuc ætatem exercebas, ſtudia, quàm prolixè de te Patriæ promittant. Ut ex ſolis ortu, quæ reliqua cœli futura ſit tempeſtas, conjectamus, ſic ex primis adoleſcentiæ annis, quid porrò Patria ſibi polliceri poſſit, divinare eſt facile. Atqui novimus, præter virtutem & literas, quibûs tempus omne tuum transmiſiſti, nullum tibi negotium jucundius, quàm ſit caſtrenſis militum occupatio. Hos tibi educi in aciem, erudiri exercitatione umbratili ad prælia, manus cum adverſo agmine conſerere, vibrare tela, cæſim punctimq́; ferire, gladiîs cominus, eminus jaculìs rem gerere, tormenta ad certum ictum deſtinata librare, producere, collatare, procurrere, ſubſiſtere, circumire, reſiſtere, mutare in cornu pugnam, diſſimulare, deniq́; laceſſere, vincere, fundere, triumphare: hi tui, PRINCEPS, ludi, hæc victoriarum, quas tua

vir-

virtute futuras ſperat Patria, prӕludia.

Eſt prӕterea alia nec Principibus indigna & tibi familiaris animi remiſſio: venationis ſcilicet ſtudium; cujus laudem quàm plurimi, Imperatores etiam, affectant. Enimverò exercitatio corporis utilior aut honeſtior nulla, quàm laborioſa quies & negotioſa otii ſpecies venatio: utpote idoneum prӕlii ſimulacrum, diſciplinӕ bellicӕ tyrocinium. Quid enim eſt, ſuccinctum armis ad cornua lituosq; per campos ſaltusq; volitare, tranſilire foſſas, interclusos virgultîs penetrare aditus; invia loca latibulaq; perrumpere, excutere ferarum cubilia, perſequi fugientes belluas, agitare, conjicere in plagas, interficere? quid hoc, inquam, niſi, quod ait Cicero, utiliſſima rerum bellicarum meditatio? Quô pactô certè prӕſtas, ut, quos Imperator aliquando perſecuturus ſis hoſtes, quӕ contempturus heros pericula, non Delphico tripode nobis ſit opus, interea, dum otiô Patriӕ frui licet, lӕtos pacis atq; uberes fructus, quos

F2 tua

tua ſapientia Provinciæ hujus moderatrix feret, percepturis. Eflorefcet interim pulchriùs ſuis doctrinæ laudibus Gymnaſii noſtri juventus: neq; enim ulli deinceps oblangveſcere ignaviâ licebit, tua ipſius, ſtudiis omnium optimarum artium exculti, auctoritate ad amorem litterarum adhortante, quarum ſuffragiô tantùm hodie conſequutus es præmium. Tum verò contuentibus te nobis illud in mentem veniet continuò, dulces quidem eſſe honoris fructus, eos tamen à nemine decerpi poſſe maturiùs, quàm ad ejuſmodi munus multum facultatis induſtriæq; præter indolem idoneam attulerit. En Principem (reſpenctantes ſe hi atq; illi viciſſim commonebunt) en peradoleſcentem adhuc, ſi ætatem quidem, quòdſi rei politicæ, ſi diſciplinæ bellicæ, ſi legum & conſvetudinũ, hiſtoriæ & coſmographiæ; ſi cæterarum deniq; cum ſibi tum Reipublicæ artium utiliſſimarum ſcientiam ſpectes; jam diu dignum, qui inter Patres Conſcri-

ptos,

ptos, Reipublicæ regendæ Duces Amplissimos, censeatur. Hæc cùm de te cogitabunt, & usurpabunt sermonibus, redibunt in memoriam identidem sapientissimi Majores tui, quibuscum Sapientia sic laudes suas communicat, ut idem SAPIEHÆ & SAPIENTIÆ nomen habeatur: recordabuntur etiam antiquissimorũ illorũ Principum ex Illustrissima gente vestra à prima stirpe bifariam, hinc per THEODATUM SAPIEHA Smolenscem, illinc per JOANNEM PODLACHIÆ, Palatinos, germanos ex SIMEONE SUNIGAILONE SOPHIA Castellano Trocensi Fratres, in familias, quemadmodum mundus aspectabilis in sua hemisphæria polosq;, distributa: recordabuntur, inquam, illorũ Sapientissimorum Ducum: CHRISTOPHORI SAPIEHA Notarii M.D.L. per antonomasiam *eximium omnis eruditionis exemplar* nuncupati, JOANNIS STANISLAI SAPIEHA Supremi Mareschalli M. D.L. *os aureum Sarmatiæ* dicti, MICHAELIS SAPIEHA Palatini Podlachiæ ac de-

mum Procancellarii M. D. L. ALEXANDRI PAULI SAPIEHA Mareſchalli M. D.L. Avi tui, præter alias ingenuas artes, Philoſophiæ & Matheſeos ſcientiâ commendati, cujus laudes nulla oratio noſtra digniùs tractaverit, feliciusq; expreſſerit, quàm ſuum de marmore loquatur monumentum, quod parenti ſuo æquèatq; in parenté gratus filius Illuſtriſſimus JOSEPHUS SAPIEHA Dioceſareæ Pontifex Coadjutor Vilnenſis in ſuo Antecollenſi templo mærens poſuit. Has immortalis gloriæ notas excipiant, velim, conſequẽtes anni, omnisq; legat poſteritas: *D. O. M. ALEXANDRO Comiti in Bychov, Zaſlav, Dąbrowna & Sapiezyn SAPIEHA Supremo Mareſchalco M.D. L. Volpenſi, Gulbinenſi, Rabſztynenſi Præfecto, quẽ LEOPOLDUS & JOSEPHUS Imperatores, ſingulari favore proſecuti, ornârunt titulô Principis S. R. I. quô per obſervantiam patriarum legum, JOANNEM SAPIEHA Supremum Mareſchallum M. D. L. Atavum & Majores ſuos imitatus in Polonia, uſus non eſt: JOAN-*

ANNES III. Rex Poloniæ, cum decimum nonum annum ageret, Mareschallum Curiæ M. D. L. creavit: vivam Bibliothecam vocabat: sibi affinitate junxit, dum ipsi in vitæ Sociam dedit MARIAM ex Ducali Bethuniorum Domo ortam Consortis suæ MARIÆ CASIMIRÆ germanam ex Sorore Neptem: AUGUSTUS II. Rex Poloniæ, qui ejus virtutes tam magni æstimabat, quem JOANNES III. amaverat, Mareschallum Supremum M.D.L. & Equitem Aquilæ Albæ fecit. Vir, cujus gravitas morum authoritatem, modestia, mansvetudo, comitas, animos cunctorum conciliabant ita, ut etiam ab his æstimaretur, quos, bonum publicum defendens sibi inimicos fecerat, nemini in vita injurius, omnibus affabilis Minister Statûs: qui Regum favorem prudentiâ consiliorum, concivium amorem, Reipublicæ jura & libertatem fortiter tuendo, meruit: qui multarum lingvarũ peritiâ, eruditione rara & assidua librorum lectione comparata, eximiâ eloquentiâ, singulari rerum notitia, prudentia insigni præditus, ingentes ingenii opes in publi-

cam utilitatem dispensabat: magna in rebus gerendis dexteritate excellens; unde, ad tractandũ cum exteris in gravissimis negotiis Reipublicæ adhibitus, semper id cum gloria gentis præstitit: Curlandiæ Status, à Rege & Republica missus, in officio continuit: officio Mareschalli M. D. L. pari prudentia ac justitia functus est: Ministerii hujus authoritate consiliũ, ut hæretici ab officiis publicis arcerentur, fulciens: Sectarium pertinaciter se Nuncium venditantem ex Senatu ejecit, frementibûs cum fautoribus acatholicîs: inde ab Episcopa*li* Collegio *ipsi publicè gratiæ actæ sunt. Demum magis laboribûs quàm ætate fractus, quadriennio ante obitum apoplexiâ correptus, totum hoc tempus pietati impendit Philosophus Christianus, ut morte justorum vitam laudabiliter gestam terminaret. Totâ vitâ, maximè instantibûs fatîs, pius in Ecclesias, & in pauperes liberalis, Sacros altaris Ministros multo bonore prosequens; quorum conversatione plurimùm delectabatur:* Revocabũt cũ his in memoriam laudes CASIMIRI LEONIS SAPIEHA Procancellarii M.D.L. cujꝰ

infi-

insigni beneficiô Academiæ Vilnensis bibliotheca est aucta. Et cùm alios atq; alios præstantes de gente Sapientum Principes numerabunt, recurrent commemoranda identidem consecrata illa Religioni & Sapientiæ Nomina: *Illustrissimus* Parens tuus CASIMIRUS SAPIEHA Armamentarii M.D. L. & Volpinensis, Punensis, Onixtensis, Rakăscis censis, Lavariscensis Præfect9, Aquilæ Albæ Eques, ille AUGUSTI II. Poloniarum Regis & communi præconio *Populi Amor*, heroum desiderium, litteratorum præsidium, miserorum perfugium, ille omni ætate commemorandus Princeps, qui operă pœne omnĕ ad restituendă, prolapsă jă olim, militiæ disciplină, rectè instituendă in aulis nobiliŭ Juventutem, promovendum litterarum studium, præter alia bene multa Reipublicæ causâ præclarè gesta, contulit: duo quoq; Principes illi, Patrui tui clarissimi, inclyta illa consiliorŭ omnisq; doctrinæ reconditioris, Divina planè oracula MICHAEL SAPIEHA M. D. L. Procancellarius, & cujus hodie sine mærore ac desiderio meminisse non possu-

mus, ereptus nuper Ecclesiæ Pontifex religiosissimus, Patriæ Minister Reipublicæ consultissimus, Familiæ Illustrissimæ singulare decus, Religiosorum Ordinum cōmunis Pater, JOSEPHUS SAPIEHA *Diocæsareæ Episcopus, Diæcesis Vilnensis Coadjutor, M.D.L. Referendarius.* Prædicabunt sæpiùs eximium utriusq; ab ineunte ætate perpetuumq; Sapientiæ divinitus sibi desponsæ amorem, quantum hic temporis hodie Superûm benignitate Patriæ bonô incolumis, tribuat, quantum ille quoq; cùm se pariter hinc atq; illinc Reipublicæ negotia interpellarent, excutiendis Regni Provinciarumq; tabulariis, veterũ recentiũq; scriptorũ monumentis assignaret, constanterq; ad viriũ etiam defectionẽ, tribueret. Nemo hunc, nemo illum Principẽ invisit, qui non doctior, aut non amantior utiq; litterarum rediêrit. Ipsæ Ædes suæ (ita nos veritas amet) amplissimi cujusdã Gymnasii, publico bono aperti, speciẽ habere videbantur, quò scilicet in difficillimis Religionis, Reipublicæ, litterarum, causarum, partium negotiis, ut illi quondam veteres

ad

ad Aram Consi, aut ad tripodem Apollinis Delphici, Viri in Republica Principes, religiosi & quiq; litterarũ amantes, cõfugiebãt frequentes, quid optimum factu, exquirebant, rationesq; suas ad consiliũ Antistitis Sapientissimi accomodabant: ipsæ alterius ædes neq; ædes ipsæ, sed ipsa etiã diversantis hospitia plena sunt negotiorum domicilia, officiorum theatra, consiliorum receptacula: neq; tam frequentes ad *Ministrũ* Statûs *Illustrissimum*, qui Regiæ beneficentiæ munera consignet, qui supplices fortunîs augeat, concurrunt, quàm eum requirunt Principem, cujus sapientiâ consiliisq; rei fortuna publicæ gubernetur.

Atq; hæc sunt quidem, PALATINE ILLUSTRISSIME, quæ omnẽ in Republica honorẽ juris vestri sic faciunt, ut illi vobis ab æquis meritorum æstimatoribus negari non possint; in ista nihilominùs libertate tam ampla vulgus quoq; rerũ istarũ non itẽ studiosũ, ut libens consentiat, comitate præterea ac beneficiis animos, oportet, devincias: idquod certè cùm per te ipse, tum per ILLUSTRISSIMOS MAJORES

tuos jam antè effecisti. Antiquũ hoc suũ obtinet in multis fortuna,ut inferiores fastidiat, despiciatq; eò faciliùs, quô gradũ dignitatis tenet altiorem. In vobis, quos Deus tantîs &opibûs auxit,& honoribûs, efficere id non potest, ipsâ illâ excelsitate animi, suoptè ingeniô,ad omne benignitatis officiũ inclinante.Sic ad vos Supplicibꝰ patent fores, ut excubiis ipsa præesse videatur humanitas, cùm vos interea in penetralibus Reipublicæ negotia variîs curîs distringant. Hac invitante, vestrũ in conspectũ venimus: hac obviam prodeunte, excipimur: hac audientiã faciente,alloquimur: nemo ad postes vestros hærere diu aut ex atriensibus diligentiùs percunctari cogitur: quid demum Princeps? districtus an vacans animô? lætior an tristior? tranquillus an iratior? Neq; siquid orandum est, deterioris etiam fortunæ homulis, verba argumentaq; solicitè sunt conquirenda: cùm alibi, ut olim Lugdunensem Oratoribus ad aram, sit perorandum. Dixisse hîc satìs eos se esse, qui suam inopiam vestrîs beneficiîs velint sublevari. Accurrunt itaq; frequentes, ul-

ultroq; ſe vobis famulos addicunt quiq; nobiliſſimi. Nimirum præter ſingularem iſtam morum facilitatem benignitatemq; vident, veriſſimum illud eſſe, quod jam olim in cujusdam etiam proverbii conſvetudinem venit: qui fortunatus beatusq; eſſe cupit, ei ſatis fore, ſi vel ipſum Domûs SAPIEHANÆ limen contigerit. Tanta hîc regnat opulentia, tam profuſa in omnes cum benignitate largitas. Circumſpice, quæſo, ex eodem Palatinæ dignitatis tuæ faſtigio univerſam, quà longè lateq; patet, Litvaniam, quanta eorum, qui egeſtatem ſuam veſtrîs opibûs ſuſtentant, imò verò qui per vos hodie rebûs omnibûs circumfluunt, multitudo: quot hîc ex portoriis, ſcripturis, decumis, alibi ex villis, oppidis & urbibus veſtris fructus percipiant, opesq; filiis ſuis exaggerent: quàm multi ſpes ſuas facultatesq; omnes in illis ſitas habeant. Nemo interim ſic bonîs veſtrîs fruitur, ut rebus ſuis metuat: nemo ſive fiduciæ, ſeu pignori, ſeu meritis ſuis, non ſatis

cautum apud vos putat: omnes in bonitate munificentissimorum Principum securè conquiescunt. Perspecta nimirum est omnibus benignitas vestra, quæ non raro gratiam suam mavult sibi fraudi esse, quàm de se quisquam vel iniquè queratur. Atq; id est præter alia, quòd tam multos honoris vestri studiosos reperias, qui dignitatis vestræ causâ vitam etiam, si res postulet, hodie profundere non dubitent. Id quod nuper non obscurô certè argumentô confirmârunt, cùm de idoneo ad munus PALATINI POLOCENSIS inter se disceptarent. Te enim primo, in illo controversiarum campo, ex omnibus candidatis proposito, ita animatos omnes fere fuisse scimus, ut, siqua pars tuis rationibus adversari voluisset; cum ea armîs etiam sine dubio decertâssent. Verùm id mali longissimè, quæ tua est sapientia & amor civium, providisti. Nulla tibi quidem dividenda erant in populum congiaria, nulla spargenda munera, maturè tamen addictos nomini

mini veſtro omni prohibiturus periculo, ne qui fortè dignitatis veſtræ & meritorum obliti turbas concire vellent; ipſa largitate illa, quæ nomen etiam tuum ubiq; comitatur, Superiorum beneficiorum omnium memoriam in populo excitâſti. Propenſa ſcilicet ad largiendum atq; innata vobis liberalitas contineri non poterat, quin electus jam, ac permanenter ab omnibus exceptus, beneficentiâ cum ſtudiis amantium veſtrî civium concertares. Simul ac te ſummum Provinciæ hujus Præſidem renunciatum audivimus, converſîs ad populum oculîs, ſimul vidimus hos atq; illos, ac ſi Tyrus ſibi & Sidon in prædam veniſſent, nummîs rebûsq;, quæ vix aliquis mortalium non appetit, in vulgus ſparſis, ut ſua cuiq; donum ſors obtulit, auctos onuſtosq; per urbem triumphare: quæ cùm pro ſe quiſq; quod cæperant, certatim legerent, cùm ſinus omnes donîs implerent omnes, excidere tum illis faciliùs poterant omnia, quàm veſtra ex

animis aliquando ſuis largitas. Nam quis ita rerum ſuarum negligens, ut, ſi quis Deus, quod aliquando cupidis rerum Pòëtis optâſſe licuit, aurô pluat, rorem illum non alacer excipiat? Non jacent enimverò inter honeſtiſſimos etiam ea præſertim munera, quæ nec vi nec precario ſibi obvenerint. Jam ſi liberaliter oblata placent; quis humanitatis adeò ſit expers, ut non munerantem quoq; reſpiciat, & amet? Tantum apud homines agreſtes etiam ac barbaros ſemper valuiſſe, ſcimus, ipſam beneficiorum memoriam, ut puteos etiam fonteſq; de quibus haurire communem aquam licebat, foliis herbiſq; redimirent. Itaq; quòd Principes Viri, in hac Provincia rerum arbitri, te ad munus iſtud depoſcant, præter ILLUSTRISSIMI nominis tui dignitatem, religioni, amori patriæ, rerum bellicarum ſcientiæ & factis, ſingulari in adminiſtrandis publicis rebus fidei & ſapientiæ, quæ omnia ſic in tuis Majoribus effulſerunt, ut in te quoq; quædam

læ-

læti ſpectemus, quædam ſperemus certò, acceptum referatur: quòd univerſus deniq; populus adeò honori tuo faveat, ſvaviſſimis moribus tuis, prolixæ in omnes voluntati, ſapientiæ ad gubernandum natæ cæterisq;, quæ gratiæ & naturæ vocamus dona, muneribus tribuendum. Hîs itaq; ſuffragantibûs, invitante populô, aſcende jam fortunatus eum honoris gradum, ex quo veræ religionis vindex, Patriæ defenſor, civium propugnator, rei literariæ patronus, minimæ deniq; *Societatis* noſtræ tutor, commiſſam fidei tuæ ac ſapientiæ Provinciam tam diu divinô beneficiô incolumis gubernes, dum omnes illos, quos à tribus ampliùs ſæculis tum hæc Provincia, tum univerſa Litvania ex gente veſtra ILLUSTRISSIMA in Senatu numeravit, hodieq; eos deſiderat, dignos immortali gloriâ ILLUSTRISSIMOS Majores tuos in te nobis pietate, meritîs, honoribûs, gloriâ Senator Sapiens, Dux ſtrenuus ac fortis Imperator,

K di-

dignus præconio laudum omni Princeps reſtitues.

Id ſiqui tibi, PALATINE ILLUSTRISSIME, ſi Civitas iſta, ſi populus, ſi Ordines religioſi omnes, ſi Familiæ tecum affinitatibus conjunctæ precantur, ut decet, ex animo; minima omnium Societas noſtra, cum hoc ſuo Collegio & univerſa per Litvaniam Provincia, maximîs veſtrîs obſtricta beneficiîs, vehementiùs certè deſiderat; DEUMq; immortalem precibûs orat, & noſtrâ & Patriæ & ſuæ religionis amplificandæ causâ fortunare ut velit. Sic certè fiet, ut, & religio ſanctitatum ſuarum propagatores, & patria publicæ rei defenſores, & ordo equeſtris ſuarum immunitatum vindices, & nos omnes, qui in unam Societatem coivimus, rerum noſtrarum tutores amantiſſimos habeamus. Renaſcentur nobis præter alios munificentiſſimi Principes illi: LEO SAPIEHA Palatinus Vilnenſis, Dux Exercituum M. D. L. Summus: CASIMIRUS PAULUS

SA-